

ANN. XVIII - FASC. II

MENSE FEBRUARIO MCMXXXI

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

prodidit JOSEPHI FORNARI
PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXX, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 400 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 800, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVIII

Romae, Mense Februario MCMXXXI

Fasc. II

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite* mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Roman, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

PIO XI PONT. MAX.
EIUSDEM IN PETRI SEDEM ASSUMPTIONIS
ANNIVERSARIA RECURRENTE DIE
“ALMA ROMA”
FERVIDA VOTA HUMILLIME DEFERT
POSTRIDIE NON. FEBR. A. D. MCMXXXI

Annua, qua Divino es Petri in Sede locatus
Flamine, fausta Dies laetior usque reddit:
Nam Fidei per Te tot fulget gloria rebus,
Orbis quas propter gratia Te sequitur;
Sed prima in populis plaudens Tibi, Maxime Pastor,
Italia exsultat conscientia laetitiae.
Reddita namque Deo, per Te, Gens Itala Christo,
Te pietate magis, Te mage laude colit.
Sic breve, quo tempus sublimi es munere functus
Summi Pastoris tempora multa valet.
Euge ergo, euge iterum!... semper florente senecta,
Longum, Magne Pater, vive, beare, rege;
Atque fide intrepida sacra in certamina perge
Diva cum Nato Matre favente Tibi;
Deiparae titulum dum nos celebrare paramus,
Post longa ex memori condita saecula Die,

*Sit Tibi Virgo Parens fidissima Stella Maria,
Ducis qui Petri, dum fuit unda, ratem;
Detque benigna Tibi motos componere fluctus,
Ut Christi in Regno Pax rutilare queat;
Tuncque lares referent virtutes Virginis Aedis,
Sanctaue tunc fient foedera connubii!...*

Laureti in Piceno.

IOANNES FRATINI.

DE FRUCTIBUS

PER S. AUGUSTINUM AB ECCLESIA PERCEPTIS
EX EIUS CONTENTIONIBUS CUM HAERETICIS¹

Postquam ad veri numinis cultum Augustinus animum adduxit, quadraginta et plus annis, usque ad mortem, sine interruptione pugnavit pro Christo et Ecclesia. Hostes erant terribiles et multiplices; arma, quae destringebant contra Ecclesiam et eius doctrinam, diversa et subtilia. Sed illis omnibus hostibus Augustinus ut murum inexpugnabilem se opposuit; multos ex adversariis ad fidem catholicam adduxit; non paucas haereses omnino profligavit. Ex illa immani et diuturna lucta fructus uberrimi non tunc solum, sed etiam pro temporibus futuris abunde emanarunt. Iam eius aequales perspicentes magnum illum assiduumque laborem, quem Augustinus impendebat in profligandis haereticorum erroribus; et animadvertisentes salutares fructus, quos efferebat, eum uti strenuum et praecipuum defensorem Ecclesiae et eius doctrinae habebant.

S. Hieronymus hoc modo ad illum scripsit: «Macte virtute, in orbe celebris;

¹ Ex oratione habita studiis an. 1930-31 auspicandis in Internat. Pont. Collegio Angelico O. P.

catholici te conditorem antiquae rursus fidei venerantur atque suscipiunt; et quod signum gloriae est, omnes haeretici detestantur». ²

Et S. Paulinus: «O vere sal terrae, quo praecordia nostra, ne possint saeculi vanescere errore, coniduntur. O lucerna digne supra candelabrum Ecclesiae posita, quae late catholicis de septiformi lychno pastum oleo laetitiae lumen effundens, densas licet haereticorum caligines discutis et lucem veritatis a confusione teneriarum splendore clarifici sermonis enibilis». ³

S. Prosper, in epistola pariter ad S. Augustinum scripta, sic eum alloquitur: «Excubante enim pro universis membris corporis Christi vigilissima industria tua, et adversus haereticarum doctrinarum insidias veritatis pugnante, nullo modo mihi verendum putavi ne onerosus tibi aut importunus essem in eo, quod ad multorum salutem, ac perinde ad pietatem tuam pertinet; cum potius reum futurum esse me crederem, si ea, quae valde perniciosa esse intelligo, ad specialem Patronum fidei non referrem». ⁴

¹ S. HIERONYMUS, *Epist. 195*; MIGNE, *P. L.*, 22, 1180.

² S. PAULINUS, *Epist. 4*; MIGNE, *P. L.*, 61, 164.

³ S. PROSPER, *Epist. 225* inter Augustinianas; MIGNE, *P. L.*, 44, 947.

Et sicut aequales, ita et successivis temporibus omnes catholici tam existimarentur. Duos solum testes afferemus.

Post septem saecula S. Bernardus «Malum haereticorum» illum appellat.¹ Tandem hisce nostris temporibus Leo XIII Augustini merita hoc modo illustravit: «Omnibus Ecclesiae doctoribus veluti palam praeripuisse visus est Augustinus, qui ingenio praepotens et sacris profanisque disciplinis ad plenum imbutus, contra omnes suae aetatis errores acerrime dimicavit fide summa, doctrina pari. Quem ille philosophiae locum non attigit, imo vero quem non diligentissime investigavit, sive quum altissima fidei mysteria et fidelibus aperiret et contra adversariorum vesanos impetus defenderet; sive quum academicorum aut Manichaeorum commentis deletis humanae scientiae fundamenta et firmitatem in tuto collocaverit, aut malorum quibus praemuntur homines, rationem et originem et causam est persecutus?»²

Omnis salutis fructus, quos secum attulit illa Augustini pugna contra hostes Ecclesiae et doctrinae catholicae, paucis comprehendere facile non est. At videamus saltem quosdam. In primis notandum est, Augustinum in oppugnandis et in Ecclesiam adducendis adversariis, *specialem methodum* adhibuisse, quae postea communis apud theologos evasit. Triplici nempe argumentorum genere, pro diversitate adversariorum, solebat uti Augustinus. Argumenta sumebat vel ex ratione, vel ex S. Scriptura, vel ex auctoritate Traditionis. Sic, contra Manichaeos argumenta praeferunt ex ratione deduxit; contra Donatistas ex S. Scriptura; contra Pelagianos denique tum ex S. Scriptura, tum ex Traditione et ex praxi Ecclesiae.³

¹ S. BERNARDUS, *In Cantic. Cantic. sermo 80*, n. 7; MIGNE, *P. L.*, 183, 1170.

² Encyclica «Aeterni Patris», die 4 Augusti a. 1879,

³ Cfr. FESSLER-JUSMANN, *Instit. Patrol.*, p. 388. - *Contra Julianum, Pelagianum*, libr. I, n. 29.

Deinde contentio contra Donastitas praeter multorum conversionem ad verum cultum et ipsius sectae destructionem, secum attulit maiorem explanationem doctrinae catholicae de Ecclesia.

Pugna contra Pelagianos non solum doctrinam catholicam de peccato originali melius evolvit, sed et doctrinam Ecclesiae de gratia profundius penetravit.

Bellum Augustini contra Manichaeos innumerabiles asseclas illius sectae ad fidem catholicam adduxit, et insuper illam sectam quoque profligavit. Pari modo, illud bellum maiorem et lucidorem S. Scripturae explicationem promovit; multas quaestiones, quae non solum fidem, sed mores tangebant, explicavit.

Tandem lucta contra Gentiles non solum multorum animos commutavit, sed sublimem defensionem seu *apologiam* religioni christiana attulit. Illo autem immortali opere *De civitate Dei*, praeter alia immensa merita, etiam fundamenta philosophiae historiae posuit.

Ita Augustinus, Ecclesiam et eius doctrinam protuens, paene capita omnia doctrinae theologicae promovit. Ecclesiologia, Exegesis, sicut et studia S. Scripturae magnum incrementum accepérunt; Dogmatica in multis partibus magis stabili firmaque ratione et profundius tractata; Anthropologia, Soteriologia, imo et Eschatologia magnum scientiae progressum demonstrant. Tandem et Historia ecclesiastica per Haesiologiam Augustinianam ditata est.

Omnia Augustini scripta, sine dubio, praeseferunt vestigia eius magni ingenii; sed scripta contra hostes Ecclesiae et eius doctrinae exarata, speciali modo hac nota

Vel *Retract.* tract. 1, 9, n. 6. - *De libero arbitrio*, libr. III, n. 6. - *Contras litteras Petilian*, libr. III, n. 60-62. - *Opus imperfectum contra Julianum*,

libr. IV, n. 16. - *De dono perseverantiae*, n. 26. -

³ Cfr. FESSLER-JUSMANN, *Instit. Patrol.*, p. 388. - *Contra Julianum, Pelagianum*, libr. I, n. 29.

reluent. Unde nostrae aetatis scriptor sic de illis loquitur: « Etsi porro in omnibus Augustini scriptis summa eius facultas eluet, non nihil tamen maioris *scripta polemica* prae se ferunt, ut in bello et praelio magis, quam in pace virtus probatur: in hisce enim scriptis, praesertim autem in opere *De civitate Dei*, atque in libris contra Manichaeos, Donatistas et Pelagianos vis et acumen ingenii et dexteritas, mira demum moderatio vel maxime conspiciuntur ». ¹

Denique notandum est, in contentiobus contra diversas haereses Augustinum mirabiliter ostendisse sublimitatem et convenientiam consensumque Christianae doctrinae, absque ulla deviatione. Quod si quibusdam is videtur, in sua controversia contra Semipelagianos vires liberi arbitrii minuisse et necessitatem gratiae divinae exagerasse, revera tamen, si prae oculis habeatur id, quod scripsit contra oppositum errorem Manichaeorum, nominatum in *Libro de natura boni*, satis clare apparet, Augustinum semper admisisse bonitatem cuiuslibet naturae a Deo creatae et bonitatem etiam humanae naturae lapsae, in quantum natura est. — Imo eo ipso quod debuit contra errores funditus ad invicem oppositos scribere, egregie ostendit veritatem fidei inveniri et immobilem stare inter ac supra has extremas erroris divagationes. In hoc peculiariter Doctor Hipponensis manifestat sublimitatem et mirabilem harmoniam doctrinae christiana, quae varios et maxime distantes realitatis aspectus, luce principiorum revelatorum absque ulla diminutione ex alto illustrat et servat.

Quodsi quaeramus, unde Augustino in contentiobus contra adversarios Ecclesiae et eius doctrinae magnus ille suc-

¹ FESSLER-JUGMANN, *Institutiones Patrologiae*, quas denuo recensuit B. Jugmann, Oeniponte, 1890-1896, t. II, p. 392.

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas;
Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!

VERGIL., *Georg.*, II, 490.

Quanto quisque sibi plura negaverit,
A Dis plura feret.

HORAT., *Lyric.*, III, 16.

cessus, triplicem, puto, causam assignari posse: Immensam scilicet cognitionem rerum divinarum et profanarum; — sublime ingenium, quo omnes illas cogniciones harmonice coniungere et ad finem suum dirigere valuit; — tandem triplicem illum, quo flagrabat, amorem pro Christo, pro Ecclesia et pro salute animarum. Haec omnia in Augustino simul iuncta, magnum illum successum, illos saluberrimos fructus protulerunt!

Quindecim saecula a beata morte sancti Episcopi Hipponensis transierunt. Civitates, in quibus eius vox viva insonuit, dirutae iacent, vel vix eorum ruderā conspicuntur. — Progressu saeculorum diversi populi illas regiones vastarunt; ibi sua regna condiderunt; quae pariter non amplius supersunt. Multiplices illi Christiani nominis osores: Manichaei, Priscilliani, Marcionitae, Donatistae, Pelagiani, Semipelagiani... qui tam acriter in Ecclesiam invehebant, iam a longo tempore evanuerunt. At inter omnes istas vicissitudines et mundi varietates doctrina Augustini suum valorem non amisit. Augustinus in suis operibus adhuc loquitur! Sicut suo tempore, ita etiam et nostro, Augustinus doctrina sua confutat et errores hodiernos, praesertim *Naturalismum*, qui modo suo renovat Pelagianismi errores. Itaque iure merito dicere possumus, Augustinum mortuum non solum in suis operibus adhuc loqui, sed ut custodem vigilum Christi Ecclesiam ex hostibus nunc etiam tueri!

AMBROSIUS BAČIĆ, O. P.

Mihi repetenda est veteris cuiusdam memoriae recordatio (Cic., *De Or.*, I, 2, 4). III. — Substantiva in « io » non una gaudent significacione:

1^o aut actionem possessionemve ¹ significant; v. g.:

Eorum *profectio* (Caes., *De Bel. gall.*, 32, 1).

Hoc mihi maximam admirationem movet (Cic., *Phil.*, 10, 2).

Petitionis nostrae huiusmodi ratio est (Cic., *Attic.*, I, 1).

Mandare litteris *cogitationes* suas (Cic., *Tusc.*, I, 3, 6).

2^o aut passionem; v. g.: ²

Cadere in eundem timorem et *infractionem* animi (Cic., *Tusc.*, III, 7, 14).

Levatio aegritudinum (Cic., *Tusc.*, I, 49, 119).

Ipsa *liberatione* et vacuitate omnis molestiae gaudemus (Cic., *De Fin.*, I, 11, 37).

3^o aut modum; v. g.:

Gallorum eadem atque Belgarum *op-pugnatio* (= oppugnandi modus) est haec (Caes., *De Bel. gall.*, II, 6, 2).

Earum perturbationum, quas exposui, variae sunt *curationes* (Cic., *Tusc.*, IV, 27, 59).

Alia toleratio (Cic., *De Fin.*, II, 29, 94).

4^o aut facultatem seu medium, ut di-

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA ¹

§ III. — *Quo sensu quaedam substantiva eleganter usurpentur.*

I. — Substantiva, praeter diminutionem, nonnunquam denotant:

1^o amorem; v. g.:

Concinnavi tibi *munuscum* ex instituto meo (Cic., *Fam.*, 12, 16).

Amiculus ad me venit.

2^o contemptum; v. g.:

Teneras mordaci tradere vero *auriculas* (Pers.).

Aliquid *nummularum* (Cic., *Verr.*, IX, 24, 53).

Muliercula (Cic., *De am.*, 13, 46).

Memoriola (Cic., *Attic.*, 12, 1).

II. — Nomina substantiva:

1^o obiectivae significationis frequenter subiective significatione gaudent; v. g.:

Tu sine ingenio, sine *litteris* intelligis et indicas? (Cic.).

Tantus in summa potestate omnium rerum *modus* (= moderatio) (Cic.).

Non est consilium in vulgo, non ratio, non *discrimen* (Cic., *Planc.*, 4, 9).

Cetera, quae nostri studii et tuae *elegantiae* esse videbuntur, quam plurima quam primumque mittas (Cic.).

Primus annus erat *provinciae* (Cic.).

2^o subiectivae significationis obiectiva significatione; ² v. g.:

Quo quis versutior et callidior, hoc invisor et suspectior, detracta *opinione* (= fama) probitatis (Cic., *De off.*, II, 9, 34).

¹ Cfr. fasc. sup.

² Nomen substantivum sensus obiectivi cum altero substantivo sensus subiectivi dictionem efficit ac format, in qua sensus subiectivus praevalet; v. g.: *Me scriptio* (sub.) et *litterae* (ob.), non leniunt, sed obturbant (Cic.). — *Belli instrumentum* (ob.) et *apparatus* (sub.) — Nonnulla tamen nomina substantiva potius subiective quam obiective sumuntur, aut vice versa.

NB. - In universum, notio abstracta alio vocabulo, alio concreta exprimitur; v. g.: *Inventio*, *inventum*; *postulatio*, *postulatum*; *promissio*, *promissum*; *institutio*, *institutum*. Saepe autem scriptor uti potest vocabulo vel abstracto vel concreto; v. g.: Mandare litteris *cogitationes*, vel *cogitata*.

² Quaedam nomina substantiva in « io » modo active modo passive sumuntur; v. g.: *Expectatio*, *commendatio*..., etc., *Sum in expectatione* (activ.) *omnium rerum* (Cic., *Fam.*, X, 4). — Cum res in *summa expectatione* (passiv.) esset (Cic.).

cimus, ad significandum aliquid fieri posse; v. g.:

Adimere omnem *recusationem* (= facultatem recusandi) Crasso volui (Cic., *De Or.*, II, 89, 364).

Quaedam mihi magnifica et praeclara eius *defensio* ostenditur (Cic., *Verr.*, II, 5, 1, 1).

Cuius rei nulla est *occultatio* (Caes., *De Bel. gall.*, VI, 21, 5).

IV. — Nomina substantiva in « tor » (* sor *), e verbo generatim derivata,¹ significant:

1^o aut qualitatem permanentem;²

v. g.:

Vociferatione *accusatores* uti consueverunt (Cic.).

In stadio *cursores* exclamant quam maxime possunt (Cic.).

Faveat *oratori* is qui audiet (Cic., *De orat.*, VI, 42, 178).

2^o aut proprietatem historicam; v. g.:

Romulus *conditor* fuit urbis Romae,

Zeno, *inventor* et princeps stoicorum (Cic., *Acad.*, II, 62, 131).

S. Leonardi in Helvetia.

J. Iss.

¹ Si habent utrumque genus, muliebri genere sunt in « trix »; v. g.: O vitae philosophia dux, virtutis *indagatrix*, expultrixque vitiorum (Cic., *Tusc.*, 5, 2).

² « Auditor » exprimere potest a) aut qualitatem permanentem, v. g. *Auditor* Platonis, Theophrasti ... etc.; b) aut actionem transeuntem; v. g.: Bonos *audidores nancisci* (Cic.). — Tamen quum exprimenda est actio transiens audiendi, Tullius fere usurpat particulum aut propositionem relativam; v. g.: Animos *audientium* inflammari. — Periclem scripsit Eupolis, cum delectatione aculeos etiam reliquise in animos eorum, a quibus esset auditus.

Non vates homo, non vir ista edidit, quae a Polono carmine interpretati sumus, et quae, dum interpretamur, nativam vim et dulcisonam suaviloquentiam profecto perdiderunt.

Non vates, inquam, vir illa tulit, sed mulier, sed poëtria Polonorum nobilissima, cui mens Dei conscientia, cui cor caritatis virtute flagrans: excelsa docet, et optima monet ultraque virtus, et quasi duabus aliis inter caelum terramque ferunt vaticinantem, modo sublimiorem nubibus et pulcro ferientem sidera vertice, modo ter-

Aequa lege Necessitas
Sortitur insignes et imos:
Omne capax movet urna nomen.

HORAT. *Lyric.*, III, 1,

MARIA KONOPNICKA POLONORUM POËTRIA

« Per deserta camporum, per arenosa solitudinum et per aestuantia camporum transiens, ego fraternalae caritatis et mutuae dilectionis sementem iacio, debilibus et humilibus profuturam. Manu sementem pacis effundo, sementem quietis, quae germinet in cordibus humilium, in mentibus hominum, quos mundi superbia vel despiciit, vel non curat; in quo vis enim egeno hominem intueor, fratrem agnosco. Effundo animam meam in labore; effundo sanguinem; atque utinam hasce glebas, quasi vernus turbo, concuterem, ut cras germinalis ederet suo dignos nomine viros, patrio dignas nomine gentes! »

Eccid hic sentit vates, in quo ineffabile Vergilianum illud sollempne et moestum carmen sonat; cui propheticum aliquid e Sacris Libris; cui Evangelicae parabolae recordatio amica succedit?... O si poëtae nostrorum temporum corda et animos temperarent suos assidui paginis, quas poëtae vel maximi nunquam et nusquam aequarunt, quibus tamen acerrimum studuerunt sublimem attigerunt apicem ubi grandia professi sunt; flexanima et suavissima, si mitioribus inservierint affectibus, sunt assequuti!...

Non vates homo, non vir ista edidit, quae a Polono carmine interpretati sumus, et quae, dum interpretamur, nativam vim et dulcisonam suaviloquentiam profecto perdiderunt.

Non vates, inquam, vir illa tulit, sed mulier, sed poëtria Polonorum nobilissima, cui mens Dei conscientia, cui cor caritatis virtute flagrans: excelsa docet, et optima monet ultraque virtus, et quasi duabus aliis inter caelum terramque ferunt vaticinantem, modo sublimiorem nubibus et pulcro ferientem sidera vertice, modo ter-

ris proximam, miseros gementesque consolaturam. At si in sublime feratur, quasi vota lacrimasque dolentium propior et coram superis constitutura volaverit, regionis, unde surrexit, aeternum memor habetur; si per tuguria, per casas coram infirmo, coram famelico, coram emortentibus versetur, appareat quasi confortans Angelus, quasi Angelus, cui Sancta Spes omnia ad solatium lugentium sua arcana concessit.

Talis Maria Konopnicka ab initio fuit, talem in posterum se praebuit, talem sui semper agnoverunt, talem exteri sunt admirati, et heic laudamus. Maternum gerens animum, aetatis nostrae et populi sui mala quaque patientia promit, ut, inde, quasi pugilunculo secreta omnia rimans, quae sit malorum causa in venis reperiatur; repertam vero repostumque eruat, evellat, coram exponat. At quanta pietas dum eruit, quanta commiseratio dum evellit, et quanta gravitas in virginali, propé dicam, illa verecundia, qua malum latens et sentis et noscis, vel dum illa pudibunda non dicit, ac tamen in eo ipso quo non dixit, ita semet et sententiam suam expressit, ut vulnus ulcusque non tam conspicias, quam ferme experiaris, et iam tecum nihil agites, nisi de remedio quantocius inducendo!

Quem quidem et intelligendi, et sentiendi et exponendi modum, partim temporibus tribuendum duco quibus pueritiam et primam adolescentiam egit; — anno enim MDCCXLVI nata est — partim aureae indoli et animo delicatissimo adscribendum. Civilibus sanguinolenta discordiis, tetrica ob illam praelitorum seriem, quibus Taurica Chersonesus omnis, quibus Euxini maris ferme omnia litora rorata sanguine sunt, ferebatur aetas decennis puellulae, cuius ad aures nihil praeter occisiones, incendia, clades, ruinae perstrepebant quotidie. Hinc innocentia animulae, irarum ignarae, odio-

rum rudi, et inexperti penitus iam ab inde interrogatio assurgebat, cui tunc fortasse inconditis vocibus respondebat animus, postea versus obmurmurante suavius expressit: — « Ecce homines in homines saeviunt? Quaenam et undecim tanti causa furoris? Ecqua est haec abyssus, qua dividunt in oppressores et oppressos mortales? Cur Oceano latior patet hiatus, voragine quavis profundior ac tenebrens et inclemens ulcere quavis insanabili? Ecce hiat a saeculis; nec humanus quotidie sanguis effusus, nec lacrymarum flumen, nec miriades mille cadaverum, nec sexcentarum urbium immensurabiles ruinae, nec virtus, nec scelus, nec preces, nec blasphemia, nec amor, nec odium, nec sacrificium, nec perditio hactenus impleverunt! Tot saeculis illic miserrime perierunt animae eximiae, corda magnanima, miriades miriadum, quotquot extiterunt ab herbula ad cedrum, a musca ad aquilam, a mure ad leonem. Hiat, hiat adhuc lamelica, insatiabilis abyssus, coram nobis, iuxta pedes nostros aterrima tenebris et sine more profunda. Frustra sapiens fraternitatis praecepta, bonus exempla virtutum, sophus inventa sapientiae, pauper labores, heros gloriam, genius potentiam, vita suam vim, sua monita, experientiam suam, sua desideria, spiritus, traditiones et historias populi suas in eam proiecere. Hiat, hiat! Ah! Ecce Deus, et fulmineum fulguransque verbum suum in voraginem proicit... Heu! hiat adhuc; hiat ad vituperium humani generis; hiat omnia negans in bonum posse converti». Attamen, horronda post haec, animo praeagenda bonorum et praesciens meliores aetates: — « Tempus erit, — inquit, — quo frater iacenti suam porriget manum, et cum aegro sanus, cum debili fortis una procedent».

Queritur interdum quia « circa se iuctus et gemitus et suspiria flentium audit ipsa, nata dum Terra senescit in peius, dum

sepulcra murmurant fletu infantium, qui descendunt illuc inviti, dum clamores, parentum frustra revocant...; heu! nuntii, qui maioribus demortuis dira, quae nunc terra subit, referent!... At cur quercus omnes regionis meae uno fulminum turbinumque incursu non omnes una nocte perierunt? Sensim sine sensu, immo magno cum sensu continentis doloris, singulis decidentibus, frondibus orbatae sunt, et nunc nudae exstant divulsae solo, iacentes humi, silentibus morte campis». «O Sancti Viri, qui laudatis Deum creantem pauperes ut ad manus habeatis exercitium divini munera, misericordiae, ecce dum advesperascat et caeca fit nox, orphanulae famelicae et erubescenti, quae tremebundam aperiens dexteram, trementi voce accedens, stipem ad emendum panem precatur, respondetis: Mors tibi opem ferat?»

Sed mediis hisce ab doloribus, ubi de virtute singulorum instauranda, de semovendis odio, cupidinibus, divitiis, deliciis cogitat, sollemnē ait: «Credo, credo lucis potentiam; credo intellectus victoriam; credo metam adesse vitae; credo scopum arduum, sublimem, humana nobilitate dignum; credo in fraternitatem charitatemque populorum; credo in bonum, in veritatem, quibus expelletur culpa, abigetur crimen, obteretur mendacium; credo in iustitiam imperium totius orbis terrarum tandem aliquando obtenturam».

Haec Maria Konopnicka pulcherrime, cui nec de aquis, nec de sylvis, nec de inanibus carmina cordi fuere; sed quae educarent, monerent, in melius agerent suos unice dilexit, et edidit. Hinc pro pueris vagis, miserrimis poëmation fecit: *Absque tecto!*; pro familiis extrema inopia in subterraneis, in speluncis vitam quasi in vestibulo sepulcri longa sub morte trahentibus, poëmation condidit: *In subterraneo cubili*; pro seductis et relictis: *Equivid aget?*; pro pueris in viam scelerum

immissis et ad iudicem raptis: *Coram tribunalibus*; pro operariis, qui in cappona lusu et ebrietate disperdunt, quod satis esset filiis uxoriisque sine pane relictis: *Vesper sabbathi*...

In tanto omnium pacis desiderio post immensa funera, inter turbineae adhuc aetatis curas, divitiarumque appetitus omnisque generis cupiditates, iuvat vocem humanissimae poëtriae revocare, eiusque omnia repetere pro Christiani spiritus Victoria. Audiant gentes universae; audiant in primis Poloni sui, ut renatae civitati incrementum, ascensus, stabilem et gloriosam vitam constituant.

P. D. V.

HORAE SUBSECIVAE

IN QUERULUM.

*Quid tibi vis faciam? Semper ploratibus [urges] atraque nox oculis prostat ubique tuis.
Urbs tibi tormentum praebet, fastidia campus:
urbs prohibet lectum, campus adire iubet.
Torquet hiems nivibus, cruciat te solibus
[aestas;
vite caput ferret, friget at alvus aqua.
Fletu irritat anus, risu vexatque puella;
sarcina dura puer, pestis acerba nepos.
Non tibi sunt aetasve recens antiquave cordi:
haec nimis est simplex, illa molesta nimis.
«Pergis ephemeridum totus lustrando figuris,
en media autotrahis factus ofella via.
Oppida si fugiens statuis contendere rura,
ecce vaporitrahis flumina in ima ruis.
Sospes ut evadis, campo consistis aperto,
naviola en praeceps ossa teritque caput.
Nullibi iam requies, nusquam pax: omnia
[edaces
curae corda vorant, exultat undique amor.
Haec miser effutis noctu, queribunde, diuque,*

dum solitos cursus terra perennis agit.
Flumina per notum labuntur littus in aequor
et repetit priscos garrula hirundo lares.
Est homini vitae et mortis modus unus et
[idem:

nascitur illacrimans emoriturque gemens.
Plus ultra! sit ei signum, caerulei citatis
navivolis, aquilarum aemulus, astra petat.
Aequora rimetur submersis navibus ima
et sibi per montis viscera sternat iter.
Fulmina constringat filoque adducat aheno
quo commune Status iusserit ire bonum.
Vocis in antipodas radiantibus evehat undis
verba repercussae, claviculumque premens
vertat in auroram nocturna crepuscula... Mor-

[tem
num rapido aut lento coget abire gradu?
Volane prodigiis impleri talibus unquam
nostri animi poterunt? Omibus omen
[idem:
Pulvis es et pulvis post vitae tempora fies.
Una fides Christi proficit, unus amor.

THOMAS GARRIDO e S. P.

DE PILARI RUMENORUM LUDO CUI NOMEN "OÏNA"

Est apud Rumenos pilaris quidam ludus, cuius nomen *Oïna*, ex latina fonte, puto; quum enim ex totius ludi vicibus pastoria atque pastoralia nomina insonent, nil facilius quam ut *oïna* ab ovino vel ovillino corruptum esse verbum existimemus. Quamquam de «pila ovina» nullibi credo apud veteres memoriam extare, nisi in illo Sereni Sammonii:

*Aut tu sume pilam, quae caudis haeret ovinis,
quod profecto minime de ludo intelligendum est, sed de adipe potius illa, quae circa ovium caudas persaepe excrescit. Ceterum fuere apud maiores plurimi pilares ludi, quorum vulgo memoriae*

proditi maxime sunt «pila sollis», «pila trigonalis» (Graecorum τριγώνος), «pila paganica», «harpastum»; quibus potest etiam muliebre ludi genus addi, quod «reticulum» appellabant.

Quidquid fuerit, *Oïnam* duplice atque opposito agmine Rumeni ludunt, quorum alterum «pastorum», alterum «militum» nuncupant. Agminis delectus ante pugnam, ut in similibus passim solet, ducum electione fit, ita vero ut ludentes pari numero ex utraque parte in sphaeristerium descendant ac suo quiske loco consistant. Itaque tum milites qui aggrediuntur, tum pastores, qui aggressores repellunt, ligneis clavis instructi ad paelium veniunt; selectusque primus miles pilam, clavae ictu, in pastorum campum deiicit, statimque — ea enim est ludi lex — fugam capere cogitur usque ad arborem, aliudve signum antea constitutum, quod plerumque centenis passibus a pugnantibus abest. Interdum vero commutandae sortis patet pastribus ius, qui sive fugientem inimicum remissa statim pila percusserint, sive volantem adhuc eam in adorientium agmen geminaverint; immuta ludi vice, militum castra occupant, dum milites in pastorum iniquiorem locum descendant; post haec, ludum eodem ritu prosequuntur. Paullatim vero fugientes ad arborem milites, pila vel prima vice perculti, e campo quasi vulnerati discedunt, atque imminuto agmine agilioribus sociis victoriae viam pandunt.

Hic *Oïnae* ludus. Quod si quem ex memoratis veterum ludis huius similem quaeritemus, «harpastum» commemorabimus, quod et «sphaeromachiam» gracis vocibus patres appellabant. Erat enim ab ἀπτάζω dictum, quod plures projectum follem arripere conarentur; nam luentes, in duas partes divisi, ut vibratam pilam in hostes repulsarent, eius volatu remittendae oblii, circa cadentem luctis et pugilatu certabant, atque in terram se

invicem prosterentes, pulvere et sudore foedabantur. Laboriosum profecto ludi genus et grandioribus natu tantum conveniens.

Quare *Oīnae* etiam Rumeni ludi origo ex patrum ludis esse repetenda videtur, non ea quidem ad amussim forma, qua in praesenti viget, vel iis legibus quibus apud Rumenos obstrictus est lodus. Nam neque «harpastum», neque «pila trigonalis», vel «follis», vel «paganica» cum ipso convenient; immo unum est in quo ab omnibus antiquorum ludis quam maxime *Oīna* abest, quod pila scilicet clava iactetur, quem contra veterum pilae non nisi manibus vibrarentur.

Quid apud ceteros Latinos nunc populos? In Italia similia apud plebem obtinuisse nunquam audivi; «pila folli» plerumque ludere in more est, quam, prae magnitudine, et parvis tympanis et brachialibus vibrant; mulieres autem reticulis manubriatis ceterisque huiusmodi ludunt, quae profecto ab Anglis accepta arbitrantur; sed et apud patres similia tum voce, tum re passim adhibita prorsus ignorant.

Apud Gallos ludum *Oīnae* simillimum convaluisse novi.. Quamquam nostris diebus primas ubique tenere prope dicendum est ludi illud genus, ad quod maximo folli, immisso aere intumescente, certantes utuntur, quodque, uti in veterum «harpasto» fiebat, procurrentes et luctantes, et alii ab aliis praeripere conantes non manibus aut quovis alio instrumento, sed calcibus repulsant.

R.

*Virtus, repulsea nescia sordidae,
Intaminatis fulget honoribus;
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae.
Virtus, secludens immeritis mori
Caelum, negata tentat iter via;
Coetusque vulgares et udam
Spernit humum fugiente penna.*

HORAT., Lyric., III, 2.

ROMA SACRA

SS. D. N. Pp. XI litterae encycliche de Matrimonio christiano.¹

II.

Altera epistolae encycliche pars casti coniubii praestantiam perpendit, tantum, nostra potissimum aetate, spreti saepe ac passim abiecti.

Non iam enim occulte neque in tenebris, sed palam, quovis pudoris sensu deposito, qua voce, qua scriptis, scaenicis cuiusque generis ludis, fabulis romanensibus, amatoris ludicrisque narrationibus, cinematographicis quae dicuntur imaginibus, radiophonicis orationibus, omnibus denique recentioris scientiae inventis, matrimonii sanctitas vel concutatur vel deridetur; divortia, adulteria, turpissima quaeque vitia aut laudibus extolluntur aut saltem iis depinguntur coloribus, ut ab omni culpa et infamia vindicari videantur, Nec desunt libri, quos *scientificos* praedicare non verentur, sed qui re vera non raro solum quodam scientiae fuco idcirco illiti sunt, quo faciliorem inveniant sese insinuandi viam. Quae autem in iis propugnantur doctrinae, eae venditantur tamquam recentioris ingenii portenta; illius nimirum ingenii, quod, veritatis unice studiosum, praeiudicatas quaslibet veterum opiniones abdicasse perhibetur, quodque inter has obsoletas opiniones etiam traditam de coniugio christianam doctrinam amandat atque relegat.

Instillantur haec omne genus hominibus; at praesertim, iuvenibus utpote faciliori captu praedae, peiores struuntur insidiae.

Primum quidem vocant, matrimonium non ab Auctore naturae institutum neque a Christo Domino in veri Sacramenti dignitatem evectum, sed ab hominibus inventum. In natura ipsa eiusque legibus alii se nihil matri-

monii invenisse asseverant, sed deprehendisse tantum procreandae vitae facultatem ad eamque quoquo pacto satiandam impulsum vehementem; alii tamen initia quaedam ac veluti germina veri connubii in hominis natura inveniri agnoscent, quatenus, nisi stabili quodam vinculo conscientur homines, dignitati coniugum et naturali prolixi propagandae et educandae fini bene provisum non esset. Nihilominus hi quoque docent matrimonium ipsum, quippe quod illa germina excedat, variis concurrentibus causis, sola hominum mente inventum, sola hominum voluntate esse institutum.

Quanto opere autem hi omnes errant quamque turpiter ab honestate deflectant, iam ex iis constat quae de origine ac natura coniugii, de finibus bonisque in eo insitis his Litteris expositum est. Perniciosissima vero haec commenta esse, ex consectariis etiam elucet, quae ipsi illorum defensores inde deducunt: leges, instituta ac mores quibus coniubium regatur, quum sola hominum voluntate sint parta, ei soli subesse, ideoque pro humano lubitu et humanarum rerum vicissitudinibus condi, immutari, abrogari et posse et debere; generativam autem vim, quippe quae in ipsa natura nitatur, et sacramentum esse et latius patere quam matrimonium: exerceri igitur posse tam extra quam intra coniubii claustra, etiam neglectis matrimonii finibus, quasi scilicet impudicae mulieris licentia eisdem fere gaudeat iuribus, quibus legitimae uxoris casta maternitas.

Hisce principiis innixi, quidam eo devenerunt, ut nova effingerent coniunctionum genera, ad praesentes hominum ac temporum rationes, ut opinantur, accommodata, quae totidem novas matrimonii species esse volunt, aliud *ad tempus*, aliud *ad experimentum*, aliud *amicale*, quod plenam matrimonii licentiam omniaque iura sibi vindicat, dempto tamen indissolubili vinculo et prole exclusa, nisi partes suam vitae communionem et consuetudinem in pleni iuris matrimonium deinde converterint.

Immo non desunt qui velint et instent ut etiam legibus huiusmodi portenta probentur, saltem publicis populorum usibus institutisque excusentur; et ne suspicari quidem videntur talia nihil sane habere recentioris *culturae* et qua tantopere gloriantur, sed nefandas esse corruptelas, quae ad barbaros quarumdam ferarum gentium usus etiam cultas nationes procul dubio redigerent.

Malis hisce in summa expositis, descendit Pontifex ad enucleanda et refellenda singula; primumque sermonem facit de iis qui prolem molestum coniubii onus vocare audent, quamque a coniugibus, non per honestam continentiam (etiam in matrimonio, utroque consentiente coniuge permisam) sed vitiando naturae actum, studiose arcendam praecipiunt: alte in hos extollit vocem atque denuo promulgat: «quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destinatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari».

Itaque Sacerdotes, qui confessionibus audiendis dant operam, aliosque qui curam animalium habent, graviter admonet, ne circa gravissimam hanc Dei legem fideles sibi commissos errare sinant, et multo magis, ut ipsi se ab huiusmodi falsis opinionibus immunes custodian, neve in iis ullo modo conniveant.

Aliud autem gravissimum commemorandum est facinus, quo vita prolixi, in sinu materno reconditae, attentatur. Id autem permisum volunt alii et matris patris beneplacito relictum, alii tamen illicitum dicunt, nisi per graves accedant causae, quas medicae, socialistae, eugenicae *indicationis* nomine appellant. Hi omnes quod ad poenales reipublicae leges attinet, quibus genitae necdum natae prolixi peremptio prohibetur, exigunt, ut quam singuli, alii aliam, defendunt *indicationem*, eandem etiam leges publicae agnoscent et ab omni poena liberam declarant. Immo nec desunt qui postulent, ut ad has letiferas sentiones magistratus publici praebant auxi-

¹ Cir. fasc. sup.

liatrices manus, id quod, proh dolor!, alicubi quam frequentissime fieri omnibus notum est.

Quod vero attinet ad « indicationem medicam et therapeutica » — ut eorum verbis utamur — miseret quidem matris, cui ex naturae officio gravia imminent sanitati, immo ipsius vitae pericula: at quae possit unquam causa valere ad ullo modo excusandam directam innocentis necem? De hac enim hoco agitur. Sive ea matri infertur sive proli, contra Dei praeceptum est vocemque naturae: « Non occides! » Res enim aequa sacra utriusque vita, cuius opprimenda nulla esse unquam poterit ne publicae quidem auctorati facultas. Ineptissime autem haec contra innocentes repetitur e iure gladii, quod in solos reos valet; neque ullum viget hic cruentae defensionis ius contra iniustum aggressorem (nam quis innocentem parvulum iniustum aggressorem vocet?): neque ullum adest « extremae necessitatis ius » quod vocant, quodque usque ad innocentis occisionem pervenire possit. In utraque igitur ad matris et prolis vita tuenda ac servanda probi expertique medici cum laude enituntur; contra, nobili medicorum nomine et laude indignissimos se ii probarent, quotquot alterutri, per speciem medicandi, vel falsa misericordia moti, ad mortem insidiarentur.

Quae autem afferuntur, pro sociali et eugenica *indicatione*, licitis honestisque modis et infra debitos limites, earum quidem rerum ratio haberi potest et debet; at necessitatibus, quibus eae innituntur, per occasionem innocentium providere velle absonum est praeceptoque divino contrarium, apostolicis etiam verbis promulgato: Non esse facienda mala ut eveniant bona.

Reprobetur denique oportet perniciosus ille usus, qui proxime quidem naturale hominis ius ad matrimonium ineundum spectat, sed ad prolis quoque bonum vera quadam ratione pertinet. Sunt enim qui, de finibus *eugenicas* nimium solliciti, non solum salubria quaedam dent consilia ad futurae prolis va-

letudinem ac robur tutius procurandum — quod rectae rationi utique contrarium non est — sed cuilibet alii eliam altioris ordinis fini *eugenicum* anteponant, et coniugio auctoritate publica prohiberi velint eos omnes ex quibus, secundum disciplinae suae normas et coniecturas, propter hereditariam transmissiōnem, mancam vitiosamque prolem generatum iri censent, etiamsi iidem sint ad matrimonium ineundum per se apti. Quin immo naturali illa facultate, ex lege, eos, vel invitatos medicorum opera privari volunt; neque id ad cruentam sceleris commissi poenam publica auctoritate repetendam, vel ad futura eorum crimina praecavenda, licebit, scilicet contra omne ius et fas ea magistratibus civilibus arrogata facultate, quam nunquam habuerunt nec legitime habere possunt.

Quicumque ita agunt, perperam dant obli-
vioni sanctiorem esse familiam Statu, homi-
nesque in primis non terrae et temporis, sed
caelo et aeternitati generari. Et fas profecto
non est homines, matrimonii ceteroqui capa-
ces, quos, adhibita etiam omni cura et dili-
gentia, nonnisi mancam genituros esse prolem
conicitar, ob eam causam gravi culpa onerare
si coniugium contrahant, quamquam saepe
matrimonium iis dissuadendum est.

Publici vero magistratus in subditorum membra directam potestatem habent nullam; ipsam igitur corporis integratatem, ubi nulla intercesserit culpa nullaque adsit cruentae poenae causa, directo laedere et attingere nec *eugenicas* nec ullis alii de causis possunt unquam.

Venient deinde Pontificiae litterae ad alterum capum errorum, quod fidem coniugii respicit: Quidecumque — aiunt — in prolem peccatur, consequens est in fidem quoque coniugii peccari quodammodo, quum alterum alteri sit connexum matrimonii bonum. At totidem praeterea contra coniugii fidem singillatim enumeranda sunt errorum et corruptelarum capita, quot eadem fides complectitur domesticas virtutes: castam scilicet utriusque coniugis fidelitatem, uxoris hone-

stam viro obtemperationem, firmam denique germanamque inter utrumque caritatem.

Fidelitatem igitur primo corrumpunt, qui huius temporis opinionibus ac moribus de falsa quadam nec innocua amicitia cum extraneis indulgendum putant, et maiorem quandam in mutuis hisce rationibus sentiendi atque agendi licentiam coniugibus concedendam esse asserunt, idque eo magis quod (ut autumant) non pauci habeant congenitam indolem sexualem, cui intra angustos connubii monogamici limites satisfacere non possint. Quapropter honestorum coniugum rigidum illum animi habitum, qui omnem cum extraneis libidinosum affectum et actum damnat et recusat, obsoletam quandam esse censem mentis animique debilitatem, aut abiectam et vilem obtrectationem seu zelotypiam; et ideo, quaecumque de fide coniugali retinenda latae fuerint poenales reipublicae leges, eas irritas esse volunt, aut certe irritandas.

Nobilis quidem castorum coniugum animus commenta haec, vel sola natura duce, ut vana et turpia respuit profecto atque contemnit; et hanc naturae vocem approbat sane atque confirmat cum Dei mandatum: « Non moechaberis », tum illud Christi: « Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo ». Nullae autem humanae consuetudines vel exempla prava, nullaque progressae humanitatis species poterunt unquam huius divini praecepti vim infirmare. Nam quemadmodum unus idemque « Iesus Christus heri et hodie ipse et in saecula », ita una eademque Christi doctrina permanet, ex qua ne unus quidem apex praeteribit, donec omnia fiant.

Quicumque vero nuptialis fidei et castimoniae nitorem scribendo dicendoque obscurant, iidem errorum magistri fidam honestamque mulieris viro obtemperationem facile labefactant. Audacius etiam complures ex iis indignam illam esse alterius coniugis erga alterum servitutem effutint; aequalia inter coniuges omnia esse iura; quae quum unius servitute violentur, quandam mulieris eman-

cipationem superbissime praedicanter peractam esse vel peragendam. Hanc autem triplicem, sive in domestica societate regenda, sive in re familiari administranda, sive in prolis vita arcenda vel perimenda, statuunt, et *sociale*, *oeconomicam*, *physiologicam* vocant: physiologicam quidem, quatenus mulieres ab oneribus uxoris, sive coniugalibus, sive maternis, pro sua libera voluntate solutas aut solvendas volunt (hanc autem non emancipationem, sed nequam est facinus); *oeconomicam* vero, qua volunt mulierem, etiam in scio et repugnante viro, libere posse sua sibi negotia habere, gerere, administrare, liberis, marito familiaque tota posthabitis; *sociale* denique, quatenus ab uxore curas domesticas sive liberorum sive familiae removent, ut, iis neglectis, suo ingenio indulgere valeat, et negotiis officiis que etiam publicis addicatur.

At ne haec quidem est vera mulieris emancipatio neque illa rationi congruens et dignissima libertas, quae christiana nobilique mulieris uxoris muneri debetur; potius est muliebris ingenii et maternae dignitatis corruptio et totius familiae perversio, qua maritus privatux uxore, proles matre, domus familiaque tota vigili semper custode. Quin immo in ipsius mulieris perniciem vertitur haec falsa libertas et non naturalis cum viro aequalitas; nam si mulier ab regia illa descendit sede, ad quam per Evangelium intra domesticos parietes evecta est, brevi in veterem servitatem (sin minus species, re tamen vera) redigetur, fietque, ut apud ethnicos erat, merum viri instrumentum.

Sed ulterius etiam progrediuntur recentiores coniugii osores, eo quod germano solidoque amori, coniugalis felicitatis et intimae dulcedinis fundamento, caecam quandam sufficient indolis convenientiam consensionemque ingenii quam *sympathiam* vocant; qua cessante, relaxari vinculum docent quo solo uniuntur animi, ac plene dissolvi. Quid hoc erit aliud nisi domum super arenam aedificare? Quae contra supra petram constituta fuerit domus, mutua nempe inter coniuges

caritate, et deliberata ac constanti animorum coniunctione solida, nulla concutetur adversitate, nedum evertatur.

Hic animadvertisit Pontifex: « Praestantissima quidem hactenus duo priora christiani coniugii bona vindicavimus, quibus hodierni societatis eversores insidianter. Sed sicut haec bona tertium, quod sacramenti est, longe antecellit, ita nil mirum quod hanc imprimis excellentiam multo acrius videmus ab iisdem oppugnari. Et primum quidem tradunt, matrimonium rem esse omnino profanam mereque civilem, nec ullo modo religiosae societati, Ecclesiae Christi, sed uni societati civili committendam; tum vero addunt a quo vis indissolubili vinculo nuptiale foedus esse liberandum, coniugum secessionibus seu divortiis non modo toleratis, sed lege sancitis; ex quo denique fiet ut, omni spoliatum sanctitate, coniugium in rerum profanarum ac civilium numero iaceat.

Primum illud in eo statuunt, quod actus ipse civilis sit pro vero contractu nuptiali habendus (*matrimonium civile id vocant*); actus religiosus autem sit additum quiddam, vel, ad summum, plebi superstitioni permittendum. Deinde, sine ulla reprehensione volunt ut liceat connubia a catholicis hominibus cum acatholicis misceri, nulla religionis habita ratione neque quaesito religiosae auctoritatis consensu. Alterum, quod sequitur, in perfectis divortiis excusandis ponitur, et in legibus iis civilibus laudandis ac provehendis, quae ipsius vinculi solutioni favent.

« Quod ad religiosam cuiusvis coniugii et multo magis christiani matrimonii et sacramenti indolem attinet, quum quae de hac re notanda sunt, Leonis XIII Litteris Encyclicis, quae saepe commemoravimus quasque nostras quoque diserte iam fecimus, fusius tractentur gravibusque fulciantur argumentis, ad eas hinc remittimus nec nisi per pauca nunc Nobis repetenda ducimus.

« Vel solo rationis lumine, maxime si vetusta historiae monumenta investigentur, si constans populorum conscientia interrogetur,

si omnium gentium instituta et mores consulantur, satis constat sacrum quiddam ac reliquum inesse in ipso naturali coniugio, "non adventitium sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum", quum "habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio". Consurgit enim sacra coniugii ratio, quae intime cum religione et sacrarum rerum ordine coniuncta est, cum ex origine illa divina, quam supra commemoravimus, tum ex fine ad ingenerandam educandamque Deo subolem, ac Deo item coniuges christiano amore mutuoque adiumento addicendos; tum denique ex eiusdem naturali coniugii officio, providentissima Dei Conditoris mente instituto, ut quoddam sit transvehendae vitae quasi vehiculum, quo parentes divinae omnipotentiae velut administri inserviunt. Ad haec accedit nova dignitatis ratio ex Sacramento petita, qua matrimonium christianorum evasit longe nobilissimum atque ad tantam excellentiam provectum, ut "mysterium magnum", "honorabile ... in omnibus", apparuerit Apostolo.

« Quae religiosa matrimonii indoles, celaque eius gratiae et coniunctionis Christum inter et Ecclesiam significatio, sanctam ab sponsis postulat erga christianum connubium reverentiam sanctumque studium ut matrimonium quod ipsi inituri sunt, ad archetypum illud ipsum quam proxime accedat.

« At multum in hoc deficiunt, et aliquando non sine salutis aeternae periculo, qui temere mixtas ineunt nuptias, a quibus maternus Ecclesiae amor et providentia, gravissimis de causis, retrahit suos, quemadmodum ex multis apparent documentis, illo Codicis canone (1060) comprehensis, qui haec decernit: "Severissime Ecclesia ubique prohibet, ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismatica adscripta; quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur". Quod si Ecclesia interdum

pro temporum, rerum, personarum rationibus, a severioribus his praescriptis (salvo iure divino, et per oportunas cautions remoto, quantum fieri potest, perversionis periculo) dispensationem non recusat, difficulter tamen fieri potest ut coniux catholicus nonnullum detrimentum ex istis nuptiis non capiat.

« Unde in prognatos haud raro derivatur lugenda a religione defectio vel saltem praecips decursus in religiosam illam negligientiam seu, quam vocant, indifferentiam, infidelitatem impietaque proximam. Illud etiam accedit quod in mixtis nuptiis multo difficulter reddatur viva illa animorum conformatio, mysterium, quod diximus, arcanam nimurum Ecclesiae cum Christo coniunctionem, imitationem.

« Facile enim deficit arctior animorum communio, quae sicuti est Ecclesiae Christi signum et nota, ita christiani coniugii signum sit oportet, decus et ornamentum. Nam distrahi solet aut saltem relaxari animorum vinculum, ubi in rebus ultimis et summis, quas homo veneratur, idest in religionis veritatibus et sensibus, dissimilitudo mentium habetur et voluntatum intercedit diversitas. Ex quo periculum est, ne langueat inter coniuges caritas, itemque labefactetur domesticae societatis pax et felicitas, quae ex cordium potissimum unitate proficiscitur. Nam, ut iam aetate tot saecula antiquum Ius Romanum definiebat: "Nuptiae sunt coniunctio maris et feminae et consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio" ».

At maxime, restitutionem istam perfectio nemque matrimonii a Christo Redemptore statutam augescens in dies divortiorum faciliter impedit. Quin immo neopaganismi fautores, tristi rerum usu nihil edocti, in sacram coniugii indissolubilitatem, legesque eam iuvantes, acrius in dies invehi pergunt, ac licere divortia decernendum esse contendunt, ut alia scilicet, eaque humanior, lex obsoletis legibus sufficiatur.

Repetit hic Pius XI divortiorum causas, quae multae in medium proferuntur et variae,

subjectivas quas appellant atque obiectivas. Contra has quoque insanias omnes stat una lex Dei certissima, a Christo amplissime confirmata, nullis hominum decretis vel scitis populorum, nulla legumlatorum voluntate debilitanda: « Quod Deus coniunxit, homo non separat ». Quod quidem si iniuria homo separaverit, irritum id prorsus fuerit; quum Christus ipse asseveravit: « Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram dicit, moechatur; et qui dimissam a viro dicit, moechatur ». Et haec Christi verba quocumque respiciunt matrimonium, etiam naturale tantum et legitimum; omni enim vero matrimonio convenit illa indissolubilitas, qua illud partium beneplacito et omni saeculari potestati, ad vinculi solutionem quod pertinet, est omnino subtrahit.

Ceterum quae contra vinculi firmitatem obiciuntur ea dissolvuntur facile. Incommoda enim illa omnia arcentur ac pericula propulsantur, si quando, in extremis illis adjunctis, discussio permittatur coniugum imperfecta, id est incolumi atque integro vinculo, quam lex ipsa Ecclesiae concedit claris canonum verbis, quae de separatione tori et mensae et habitationis decernunt. Iam secessionis huiusmodi causas, conditiones, modum simul et cautelas, quibus et liberorum institutioni et familiae incolumitati fiat satis, atque incommoda item omnia, sive ea coniugi, sive proli, sive ipsi civili communitati impendent, quoad poterit, praecaveantur, legum erit sacrarum statuere, et ex parte saltem, etiam civilium legum, pro civilibus scilicet rationibus atque effectibus.

Pars haec encyclicae altera concluditur monitis Leonis XIII de divortii damnis tum familiae tum civitati, quae in miserrimum discrimen irruunt; quae quidem quam vere ante quinquaginta annos praenuntiata fuerint, abunde confirmat crescens in dies morum corruptio et inaudita depravatio in iis regionibus, ubi *Communismus* plane dominatur.

(Ad proximum numerum).

ANNALES

Nationum Societas.

Genevae legati ad studium Europae uno foedere iungendae congregati sunt; Grandi, Italus externis negotiis gerendis administer, Anglis et Germanis accedentibus, rogavit ut Russorum quoque ac Turcarum civitates in consilium invitarentur; obstitit Briandus, Gallus, propositi foederis auctor, quod civitates ipsae non essent Nationum Societatis participes. Res in utramque partem disceptata; demum constitutum est non praefatas nationes tantum, sed et Islandica in coetum vocari, ad pendendum una cum ceteris oeconomum discrimen a quo universus orbis hisce diebus agitur, quodque omnes Europae nationes attingit. Conventus prouinciatione est conclusus, in qua Gallia, Germania, Italia et Anglia protestatae sunt, sese Nationum Societate usuras ad impediendum quominus vis a quavis natione adhiberetur, quum dissensio aliqua inter nationes oritura esset.

Eodem tempore supremum Nationum Societatis Consilium est pariter congregatum ad disceptandum de rationibus a delectis ad rem legatis allatis, iuxta quas rogatio de deponendis armis perfici licet. In id unum omnes consensere, eam in examen adduci non posse nisi in proximo anno MCMXXXII.

Apud Societatis legatos renovatum proinde ad quinquennium est foedus quo Polonia et Rumenia mutuo obligantur ad auxilium altera alteri ferendum si forte ex Russia oppugnationes fierent. Neque omissae disputationes sunt de rationibus arcendi otium, ad quod inviti opifices plurimi ubique nunc coguntur; benevolenterque auditae querelae Germanicarum minorum civitatum in Alta-Silesia viventium, quibus necesse est fidei sensum restituere.

Indorum motus.

Londinensis Indorum principum coetus dimissus est, positis legum principiis, per quas Indiae civitates sui iuri fieri quodammodo possint. Bonae Anglicae voluntatis signum apparuit ex vinculis missio, quae statim sequuta est, Gandhi illius, qui rebellionis auctorem se fecerat, eiusque fautores; non tamen cum exitu fortasse in spe habito: si enim eventus cum Indorum summa laetitia fuit, haec videtur inde orta, quod potestas illis fieret motus intensius resumendi. Qui quidem revera in Birmania eo usque processere, ut Angli ad eos compescendos rebellium castra igni tradere coacti fuerint.

Americanae seditiones.

Panamensis civitas haud minor inferioris Americae nonnullis sororibus esse voluit; seditione enim facta, Arosemena praesidem munere suo privavit. Rerum summa potitus est Armodius Aras, seditionis auctor.

Italicae coloniae.

Die xxiv mens. Ianuarii Italit Cufr oasim, Senussicae Africanae regionis caput, occuparunt, superstitionibus rebellis domitis. Libycae coloniae possessio ita perfecta est.

Funera.

Gallia, magno cum omnium civium luctu, die iii ipsius mensis Ianuarii, vita functum Joffre, alium ex universae militiae supremis magistris, vidiit. Eius nomen ad posteros immortale erit, tamquam Maricensis pugnae victoris, per quam, in recenti immani Europae bello, Galliae vita servata est.

POPULICOLA.

VARIA

Terrae motus Venetiis an. MDXI.¹

Septimo calendas Aprilis an. MDXI Venetiis terra tremuit motu tam vehementi, ut Senatu, qui habebatur, ante ullam latam legem praeter morem dimisso, Patres ruina tectorum intercipi metuentes, tumultuose se foras truderent. Cadebant autem e summis curiae templique Marcii parietibus pinnae ac signa marmorea, quae in iis antiquitus posita prominebant: turresque templorum nutare cacuminibus et commoveri prospiciebantur; et sacra aera in plerisque earum, maximeque in ea turri, quae in foro est, sponte insonuerunt; pleiaeque etiam vitium fecerunt. Et aqua urbanis in alveis alte excitata contremuit; innumeraque sumi receptacula quassu divulsa in vias ipsaque in tecta corrue- runt; domusque non una cum incolentium interitu, parietes vero domorum et fanorum frequentes ruinam traxerunt. Hoc quidem unum iuvit, quod is non longinquus terrae tremor fuit. Atque eas ob res, quae acciderant, postridie eius diei Deo optimo maximo supplicationes omnibus in urbis regionibus dies tres fieri, et ne quid praeter panem et aquam ad vescendum omnes puberes sumerent, ab Patriarcha Venetorum, consultis Patribus, indictum. Pauloque post eundem prope terrae motum cum iisdem fere prodigiis Patavii, Tarvisii, Fori Iulii, nonnullisque aliis in reipublicae oppidis et finibus fuisse, cognitum est.

Vas aeneum et vas fictile.

Duas olim flumen trahebat ollas, alteram aeneam, alteram fictilem: aenea vero pondere proprio praegravata ac sibi pra-

¹ Ex PETRI BEMBI, *Historia Veneta*.

cavens, fictili anteeunti suadere coepit, ut coniungi sibi vellet, quo vehementem impetum fluminis sustinerent, adjunctis utrinque viribus. Cui ait fictilis olla: « Soror mea, tua vicinitas mihi non admodum probatur; Nam sive unda illidat te mihi, vel me tibi, ut cutis dura te incolumem praestabat, sic conteret me fragilem ».

Fugienda est tenuioribus propinquitas potentiorum hominum.

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO

(pro Quadragesimali tempore):

Intrita Carthusiana.

Crusta garo illinita.

Tomaculum ex variis piscibus.

Cardui Parmensi caseo conditi.

Asellus marinus ad craticulam assus.

Artolagani saccharo inspersi.

Locosa.

TUCCIUS linguae latinae periculum facit.

MAGISTER: Invenias verbum in hac sententia: « Pater meus est bonus ».

TUCCIUS tacet.

MAGISTER: Papae! « Est »; illud « est » quid indicat?

TUCCIUS: Caeli regionem, ubi sol oritur!

Aenigmata.

I.

A breve contineo: lucem do, doque colorem.

Ae teneo: exhausto dolia signo mero.

II.

Urbs prior Ausoniae; pars allicit altera nares;

Totum Urbis summus longeque amplissimus

[ordo].

Aenigmata in superiori fasciculo proponita his respondent: 1) Re-do; 2) Succus.

Libri dono accepti.

PASQUALE VANNUCCI, d. S. P. *Il Collegio Nazareno*. Roma, MDCXXX-MCMXXX. - Cryptae ferratae, ex Schola typ. orientali a S. Nilo nuncupata, 1930.

ALFONSI M. CASOLI e S. I. Mutinensis *Lyricorum liber alter*, curante T. SORBELLI. - Mutinae, typis Vincentii et Nep., MCMXXX. (Ven. lib. 15).

ALFONSO M. CASOLI S. I. *Reliquie poetiche*. Raccolta postuma. Seconda edizione accresciuta. - Modena, Libreria editrice G. T. Vincenzi e Nepoti, 1930. (Ven. lib. 20).

ACASTES BRESCIANI. *Carmina in Vergilium Maronem anno bismillesimo volvente*, a die natali eius. Faliscoduni, 1930.

SAC. RAYNALDUS D'AMBROGIO. *Fasciculus Myrrae*, Carmina. - Verulae, ex officina Reali, 1930.

LUIGI TABERINI. *Dux*. Alcaica latina con traduzione italiana dell'autore. - Officine poligrafiche della Federazione Fascista. - Ancona.

Cambyses, Carmen JOSEPHI MORABITO in certamine poëtico Locrensi anni MCMXXX laudatum. - Catacii in Bruttis, MCMXXXI.

LIBRORUM RECENSIO

De libro nuper edito in officina typographica S. Nili, qui inscribitur *Il Collegio Nazareno*, curante Rev. P. Paschale Vannucci Scholarum Piarum.

Sane multi illorum qui XV Kal. Ianuarias superioris anni in amplissimo Augusti Mau-soleo orationi gravi et magnificae adfuerunt, quia clariusimus P. Aloysius Pietrobono Schol. Piar, missionem fecit celebrationum trecentesimi anni post Nazarenum conditum ephebeum, admiratione erunt perculsi vetustis lau-

dibus huius ephebei, quod nuper quartum inchoavit saeculum.

Nihil igitur poterit dignius huius celebrationis memoriam continuare atque simul discipulis horum temporum, nec non prioribus eorumque propinquis gratiori esse recordationi, denique doctis omnibus maiorem praebere copiam utilium notitiarum, hoc edito libro, cui P. Paschalis Vannucci diu vacavit amanter ad illustrandum hoc Ephebeum eiusque maximos artifex, Patrem purpuratum Michaelem Angelum Tonti et Sanctum Iosephum Calasancium, qui id sapientissima sua educandi ratione mire perfudit.

Legenti novem capita pressa doctissimis et copiosissimis adnotationibus praedita utili addita appendice, ad vitam fere renovantur difficile ephebei exordium, eius incrementi, turbulentis exceptis temporibus, procedentes gradus, tot umbratiles coetus, quo lautissimi conveniebant homines, honores principum, regum, pontificum, qui non semel, ut inscriptio aperte declarant, id adierunt, tot discituum et magistrorum inclita fama, postremo mira semper temporibus conformatio usque ad nostram aetatem, qua immani in bello adulescentium nobilissima manus fortiter ac strenue sanguine persolvit debitam patriae gratiam. Omnia autem sana et exili sunt oratione illustrata, nulla magniloquentia, cum facta per se ipsa plane perfecteque loquantur.

Liceat igitur nobis votis expetere, ut librum hunc, ubi inter cetera educandi artis optima inveniuntur praecepta, merita sequatur sors, itemque ephebeum, quod et Beatus Iohannes Bosco visit saepe valdeque probavit, moderantibus Scholarum Piarum Patribus, semper Dei patriaeque cultum in unum congruentem exhibeat.

NAZARENUS CAPO.


IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreoni,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS